





NOLLIUS VIA SAPIENTIAE — 1620













4566/A









VIA SAPIENTIÆ TRIVNA

HENRICI NOLLII, THEOsophi & Medici, Professoris Steinfurtensis.

EDITA

ab

ANASTASIO PHILARETO COSMOPOLITA.

Ludovicus Vives.

Quæ in iuventute elato supercilio putabam esse Thesauros in Philosophia, iam conversus & senex, video vix stercora esse, & tantum remoras vitæ piæ, studiorumq; necessariorum fuisse.

ANNO

Sapiente IVDICe, trIVMphat VerItas:

Sap. 7. v. 25.

Sapientia est vapor virtutis DEi: & emanatio quadam est claritatis omnipotentis DEi sincera. Et ideo nihil inquinatum in eam incurrit &c.

Proverb. 2. v. 6.

DOMINVS dat Sapientiam, & ex ore ejus prudentia & scientia.

Sapientia ipsa, ubicunq; prodit, suam ipsius vestem ex innata indole sibi conficit: Non opus habet ut ab Aristotele vestem mutuetur.

H. N.

ILLUSTRI ET GEnerofo Domino,

Dn. NATHANI SLUSIO &c.

Baroni Gallo literatiſſimo,

ANASTASIUS PHILARETUS COSMOPOLITA,

Salutem ac obſervantiam perpetuam.



Ermo nobis variꝰ ſçpè & multiplex fuit, SLUSI prçclariſſime, in Muſarum Parnaſſo Lugduni Batavorum, de excellentiſſimo Theoſopho & Medico Henrico Nollio, Profeſſore Steinfurtenſi. Is his diebus in natali urbe Hamburgi, honorificentiſſimâ ſuâ præſentiâ, eruditiſſimisq; de rebus divinis & humanis colloquiis ineffabili me planè lætitiâ perfū-

dit, & in discessu suo non uno scriptorum suorum ineditorũ munere ornavit. Ex quorum censu aureus hic, quem ad te dirigo libellus, ut per te in aliorum veræ & æternæ incarnatæ Sapientiæ cultorum manus deveniat, quo vix alius auctoris nostri quispiam ullibi vivit amantior, & in istâ ætate ac fortunâ mysticæ Theologiæ ac Philosophiæ peritior. Cujus uni heroico pectori, nos nostra que magis placere studemus, quam toti degeneri populo. Nunquã optima pluribus placuerunt, argumentum pessimũ turba est. Nisi me omnia fallũt, non multum rogandus eris ut labores nostros patrocinio tuo adversus lividorum morsus tu-

caris,

earis, cum non ignoremus te, tua ſponte id facturum, hoc tantum ſubmiſsè oro, ut me, quem ſemel ſingulari tua comitate, nullo meo merito, intimæ admiſsionis amicum conſtituiſti, porrò eodem jure uti, frui ſinas, ita te ſummus JEHOVAH ſalutis publicæ bono diu mortalibus intereſſe patiatur, tuaq; vota proſperimo ſucceſſu beet. Vale dulce decus & præſidium meum, memor noſtri.

Dab. Curſim Lunæb. A. æræ Chriſtianæ M. DC. XX. Menſ. Septemb.

IN VIAM SAPIENTIÆ TRIU-nam ab Henrico Nollio solis doctrinæ filiis consecratam Epigramma.

Sit quibus indaganda modis, sit & unde petenda
Lux Sophiæ: paucis, prôdolor! ista patent.
Inveterata quidem jam cepit opinio multos
Quod Sophiæ doceant dogmata vera Scholæ:
Unde catervatim Sophiæ studiosa juventus,
Publica Musarum castra Scholasq; petit.
Sed gravis est error: nam vera scientia rerum
A patre cælesti, non aliunde venit.
Unicus hic Sophiæ fons est; qui flumine trino,
Suaviter, igne crucis, torrida corda rigat.
Est rudis, ex isto nisi fonte quis hauserit undas,
Eximiè doctum se licet esse putet.
Stulta quidem passim cæci Sapientia mundi
Regnat, & elatum tollit ad astra caput.
Una tamen superest & inevitabilis hora,
Temporibus finem qua Deus hisce dabit.
Tunc sincera suum sparget Sapientia lumen,
Quod nunc stultitiâ prædominante latet.
Vos igitur juvenes quibus est Sapientia cordi,
Aeterna veram discite mente viam.

Hac

Hac ſemel inventa; feliciter atq; labore
Jam facili reliquum conficietis iter.
O benè de vobis meritum, veſtroq; favore
Perdignum! qui vos hanc docet ire viam.
Nollius ecce docet, tamē haud ignarus, Athenis
Hæc cathedralitiis non placitura Sophis:
Nam genus hoc hominum, quod non niſi grandia ſpirat,
Magnificæ pompam garrulitatis amat,
Fucatoq; ſtudet potius ſplendore probari
Mundo, quàm vera ſimplicitate, Deo.
Candide ſed Lector, facies abjecta libelli
Plus in ſe, primò quàm videatur, habet.
Ne modò præcipiti damnes ignota furore,
Quis ſcopus & quæ ſit mens genuina, vide.
Quod ſi dante Deo, fuerit tibi cognita praxis;
Grates Autori, Lector amice, feres.

URBANUS GELNICIUS.

Vero

Vero Sapienti S:

UT tripus aureus inventus ex Delphicæ Phœbados responso Sapientissimo viro fuit assignatus: ita ego hanc viam Sapientiæ triunam, tibi; Sapienti, ubicunq; locorum es consecro. Mathesin cum rudimentis pietatis, & linguas Græcam, Hebraicā & Latinam primum docendas, & in iis tyrones Sapientiæ exercendos usq; dum ipsorum judicium maturverit, 2. Viam Sapientiæ triunam discendam & sequendam, & 3. demum Sapientum libros ac commentaria legenda esse volo. Tu cense, &. si qua in parte hæc methodus tibi emendanda videtur, modestè mihi illud, aperi. Te solum tanquam ducem sequar, & te quoq; ob tuam fraternam admonitionem honore mactabo. Vale. Dabam Steinfurti è Museo 6, Feb. Anno 1620.

HENRICUS NOLLIUS.

Errores operarum

In quibusdam exemplaribus legendum B.3. Col.2.l. 19 nostes. C. Col. 2. l. 9. legens. C. 3. Col. 1. 8. lin. haurire. D. Col. 2. l. 8. abysso. D. 6. c. 2. l. 10. supposititii D. 7. l. 4. supposititiis l. 6. venenum c. 2. l. 18 haurit D. 8. c. 1, l. 9. Matæologus, &c.



PRÆFATIO IN VIAM SAPIENTIÆ triunam.



XTra Controversiam est, sapientiam tanto esse in precio apud homines, ut vel omni studio eam prosequantur vel saltem haberi velint studiosi ejus. Paucissimi tamen sapientiam inveniunt, 1. quia plurimi eam in hominũ scriptis quærunt, quæ ne micam veræ sapientiæ habẽt 2. quia viã veram ad sapientiæ sincerioris fundamentum deducentem negligunt 3. quia sapientũ adventũ expectant, & exspectando nihil inveniũt. His novissimis temporibꝰ fratres R.C. ediderunt famam & Confessionem fraternitatis, atque in iis magisteria & mysteria naturæ stupenda promittunt. Ea autem mysteria vel absq;

fratrum illorum explicatione & institutione explorari possunt, vel ad eorum magnalium investigationẽ necessarium est, ut in fratrum veniamus notitiam. Hoc si verum esset, Paracelsus Magnus ille Germaniæ Philosophus ea mysteria, quæ ipsi prædicant, nescivisset: quippe fratres illos non cognovit. At plura ejusmodi arcana, quæ fratres R. C. prædicant, exquisitè scivit, id quod etiam ipsi fratres non negant. Addo quod ante fratrum R. C. ordinem talia naturæ miracula prorsus incognita fuissent, si à fratrum istorum institutione penderet eorum secretorum revelatio. Meritò ergò statuo, Sapientiæ profundioris magnalia sciri & investigari, etiamsi fratres planè ignorentur, Frustrà ergô quærimus Sapientes, sine quibus vera Sapientia facilè acquiri potest. Homines segnes & otio dediti, qui tantùm ex fratribus illis sapientiam necessariò discendam esse arbitrantur, exspectando marcescunt & nihil agendo

gendo nihil discunt sibi persuadentes, se in viam veræ Sapientiæ inquirere non debere, quia alii eam dilucidè exposituri sint, ut absque labore hoc tempore quilibet ea potiri queat. Aber es wird dir keine gebratene Taube ins Maul fliegen: id est.

Non tibi per ventos assa columba venit.

Præterea fratres R. C. non intendunt alios eò permovere, ut ipsorum adventum tantùm exspectent otiosi, & de Sapientia consequenda nihil sint solliciti, sed ut agnoscant vulgarem Philosophandi rationem esse insufficientem, imperfectam & planè rejiciendam, Theologiamque Symbolis hominum & Confessionibus expressam non esse solidum fundamentum, in quo cognitio rerum divinarum fundari debeat: sed dari profundiorem Philosophiam & Theologiam, quàm eam, quæ à diversis sectis in varias opiniones inani

altercandi ſtudio diſtracta eſt, ac proinde decere ſtudioſos, ut, ſi quam occaſionem aliunde captare poſſint, occultioris ſapientiæ myſteria rimentur, & iis intellectis, verorum Philoſophorum commercio fruantur. Tu ergò, qui ſapiens fieri deſideras, fratres R. C. eſſe fratres ſapientes permitte, eos ne quære, nec expecta, ſtudium ſapientiæ interim negligens. Si contingeret, ut nullum fratrem per totius vitæ curſum videres, fruſtrà quæreres, fruſtrà expectares & ſic ſapientia excideres; quam tamen reportare potuiſſes, niſi expectando in otium delapſus conſultò eam negligere voluiſſes. Meditare verò ipſe viam veræ ſapientiæ, ingredere eam & naturam ex libro triuno Catholico philoſophicè & theoſophicè explora, dubio procul in ſapientum familiaritatem opinione citius pervenies. Ne autem de viæ ad veræ ſapientiæ ſolidum fundamentum deducentis obſcuritate conquueraris, hoc in tractatu 1. errores

rores circa viam fundamenti ſapientiæ indicem evolvam 2. Viam triunam, quæ ſolidum ſapientiæ fundamentum oſtendit, perſpicuè pro ratione talenti divinitus mihi dati, Deo juvante, exponam, & 3. Quis dignus ſit ut per viam iſtam triunā in ſapientiæ ſanctuarium introëat, & quo fine & quando ſapientum libri ſint legendi, deſcribam. Deus qui eſt fons omnis boni, gubernet mentem & calamum meum, Amen.

CAP. I.

ARISTOTELIS, PLATONIS, Scholaſticorum, & aliorum hominum qui eos ſectantur Scripta non eſſe viam, quæ Sapientiæ ſolidum fundamentum monſtret.

QUo in loco ſint ſcripta Ariſtotelis, Platonis, Scholaſticorum & aliorum, qui eos imitantur, in propatulo eſt. Error tamen non exiguus eſt, arbitrari, ea ſcripta eſſe viam ad ſolidum veræ Sapientiæ fundamentum deducentem. Pri-

mùm Sapientiam ipſam non continent. Deinde corticem & umbram potius, quàm nucleum & corpus exponunt. In terminorum fictorum diſcuſſione, explicatione & aliorum dictorum refutatione vitam & animam habent. Autores eorum ſcriptorum ambagibus delectati in labyrinthùm devolvuntur, & ex verborum lenocinio Sapientes haberi volunt. Quandiu per altercationes ad Sapientiæ fundamentum quis adſpirat, tandiu ab ea aberrat. Falſitas variis & perpluribus tegumentis opus habet, ne agnoſcatur : veritas ſimplici incedit apparatu. Omnium Scholaſticorum formalitates, hæcceitates, menſeitates, ligneitates &c. quamvis noſces, nihil tamen eſſet, quod ſcires. Curioſus in verbis res ipſas vix vel raro attingit. De Univerſalibus metaphyſicus miſerè diſputat: Hic ea eſſe entia realia abſque operatione mentis in rerum natura exiſtentia; ille entia rationis opinatur. Adſtipulare, utri volu-

eris, & eandem obtinebis felicitatem. Ut ut hoc ſit, iſti tamen altercatores utrinq; ſe palmam Sapientiæ reportaſſe ſibi perſuadent. Hærentes circa vanas & inutiles quæſtiones prætereunt neceſſaria & utilia. In vanitatibus gloriam quærunt, in quibus tamen ne umbra gloriæ eſt. Mundo placent, quia ipſe vanus & ab intimis ſecretiſſimisq; Sapientiæ Theſauris eſt remotiſſimus. Æternam Sapientiam demonſtrare nequeunt, quia Sapientiam in externis poſitam eſſe litigiis cum ſtulto mundo ſtultè opinantur. An ergò Ariſtoteles, Plato, Scholaſtici & eorum aſſeclæ prorſus legendi non ſunt? Hoc dicere non auſim: Multa enim in iis reperiuntur hinc inde tamen parcè diſperſa, quæ veritati ſunt conformia; Sed in ſcriptis eorum veræ ſapientiæ fundamentum collocandum eſſe pernego. Conſultius eſt, ut, ſi meliores autores, qui de vera ſapientia ſcripſerint, habemus, eos conſulamus, diligentiùs legamus

mus, & ex iis Sapientiam discamus. Præstantius semper præferendum illi, quod minus est præstans. Cum ergò nobis sacro sancta sint Biblia, quæ tantum sapientiæ thesaurum nobis aperiunt, quantus in nullis Aristotelis & asseclarum ejus libris offerri potest, satius est præterire & abjicere ethnicorum, illorumq; qui Ethnicorum vestigiis insistunt, literaria monumenta, ut ne in alienis occupati potiora expiscari nequeamus. In mundanis artificiis nihil solidi percipitur, nisi quis objectum artis suæ studiosè tractaverit, alienaque planè posthabuerit. Multò majori diligentia veræ Sapientiæ studiosi noctesq; diesq; S. S. Biblia, omissis aliis versare debent, ut solidum in sapientia fundamentum ponere possint. Quia in unis sacris literis Sapientiæ fundamentum obtineri potest, in Ethnicis & Scholasticis scriptoribus illud quærendum non est. Stultum est, per ambages quærere, ad quod rectâ facilè perve-

Matth 6, 33. Quærite primum regnū Dei, & reliqua adjicientur vobis.

nire

nire possumus. Vita nostra brevis est. Qui potissimam ejus partem in vanitatibus insumunt, vix vel raró ad sapientiæ fores admittuntur, nedum per fores in Sapientiæ Sanctuarium ingrediuntur.

CAP. II.

NEC IN PARACELSI, NEC in Weigelii, nec in ullius Theologi, Philosophive, cuicunq; Sectæ addictus fuerit, imò nec in meis ipsius scriptis esse fundamentum Sapientiæ quærendum & ponendum.

PAracelsus Vir magnus est, & Philosophiã meo judicio dexterius explicavit, quàm universa Aristotelicorum turba. Weigelius divinioris Sapientiæ studiosissimus divina planè & nullo unquam ævo intermoritura manuscripta, ingenii sui excellentia monumenta, post se reliquit. Et sunt præter eos adhuc magni Theologi & Philosophi, qui aut à secta liberi sunt, aut certæ alicui sectæ suum dederunt nomen.

Eorum omnium, quales & quanti ſint, ſcripta non habentor duces & viæ ad Sapientiæ ſolidum fundamentum deducentes, id eſt, tanti æſtimari non debent, ut in iis fundamentum Sapientiæ quæratur & collocetur, idque ea de cauſſa, quia ex iſtis autoribus homo præjudicio imbuitur, & ea, quæ in via Sapientiæ triuna offeruntur, ad ſuum præjudicium, conceptaq; inde principia detorquet ita ut ſanum judicium de rebus ferre nequeat. Magni & celeberrimi iſti viri omnem Sapientiam ex divino fonte non exhauſerũt, nec certis libris includere potuerũt. Et in hoc mundo vix ulli homini contingit hæc felicitas, ut ſemper absque errore loquatur, ſcribatve, vel ſine errore intelligatur. Imò impoſſibile eſt ut Sapiens ſemper ea facilitate id quod ipſi in mentem venit, pronunciet, quò abs quovis debitè & dilucidê percipiatur: Sapientiæ enim Theſauri ſunt in exhauſti & perſæpè adeò abſtruſi & profundi

fundi

fundi, ut in phrasibus usitatis & maxumè notis homini innotescere vix rel rarò possint. Quicunque ergò secundum principia, per præjudicium ex alicuius Sapientis scripto oborta de omnibus judicare sibi proponit, in errorem prolabitur & alios secum in inextricabiles falsitatum labyrinthos abducit. Ea, quæ vulgaria sunt, seu sub vulgi captum facilè cadunt, reconditioris literaturæ semina non sunt. Antiqui Philosophi figuris, parabolis & ænigmatibus diviniorem Sapientiæ viam occultarunt. Sacerdotes tum apud Gentiles, tum apud Judæos & Christianos sua habuerunt Sanctuaria, quæ nemo intrare dignabatur, nisi ille, qui in Sacerdotii ordinem post varias probationes & examinationes cooptatus & receptus fuerat: idque eam ob rem, ut ne facilè ea quæ Sacerdotibus Sancta esse debebant, in vulgus spargerentur, cùm à vulgo debitè apprehendi nequeant. Igitur in horum

rum ſapientum monumentis ſtudium ſapientiæ nemo fundare debet, præſertim quia iſta ſcripta fundamento ſapientiæ ſuperſtructa ſunt. Hoc volo: Quodcunque ſapientiæ fundamento innititur, in hoc ſapientia fundari non debet. Cum ergò ſapientum libri fundamento ſapientiæ nitantur, in iis fundamentum ſapientiæ ſolidum collocandum eſſe quis concedat? Perplures hoc tempore homines ſunt, qui uni certo autori legendo & meditando ita incumbunt, ut non tantum omnia ipſius dicta intelligere, ſed etiam alios in admirationem ejus autoris rapere de induſtria moliantur: Hi autem cùm ſimii ſint & ſuum ingenium alterius libidini, arbitrioque mancipent, ſuos libros fundamento ſapientiæ deſtituunt. Excolendo aliorum ingenia, ſua inculta relinquunt, & quia ſapientiæ fundamentum neſciunt, intellectum in anguſtos carceres conſtringunt, ut nihil ſapere ſe poſſe putent, niſi quod alii

ſapue-

à puerunt. Diſcite ergò, ô ſtudioſi, veram Sapientiæ triunius viam triunam, & in adeò arctos & anguſtos ſapientiæ cancellos non abducemini.

CAP. III.

IN LIBRIS DIABOLICIS & ſuperſtitioſis Sapientiæ fundamentum non eſſe collocandum, ac proinde eos non eſſe viam, quæ Sapientiæ veræ genuinum fundamentum indicet.

Libri ſuperſtitioſi oriuntur ab iis, qui in ſolida Sapientia nihil profecerunt. Diabolici autem à Diabolo, qui eſt pater mendacii & in veritate non ſtetit. Verè ergò ſapientes fieri nequeunt, qui libros Diabolicos diligenter legunt, e, g, eos, qui conjurationes ſpirituũ cum nominis tetragrammati deteſtando, abuſu continent, ſuperſtitioſas, malasq; artes ad amorem venereum, ad aucupandam principum gratiam & ad divitias, aliasq; mundi de-

licias

licias consequendas docent, atque hominem à pietatis genuino exercitio longè avocant. Diabolus omnium spiritualium tenebrarum & veræ stultitiæ fons, non patitur eos qui diabolicos libros de industria legũt, in sapientia proficere: Libris enim istiusmodi veluti laqueis lectores & cultores suos in nequitia detinet, ne sapientiæ lux affulgere ipsis possit. Caveant ergò omnes sincerioris sophiæ fideles amatores, ut spiritus familiares, quorum ductu informentur & erudiantur, sibi, mediante conjuratione asciscant vel, conjuratos ab aliis emant. Sapientiam veram docere non possunt; quia eam non habent. Lux Sapientiæ adeò eminens & fulgida est, ut malorum spirituũ castra subire nequeat: Nulla enim communio lucis & tenebrarum in excellenti gradu existentium. Libris Diabolicis etiam annumerantur libri scommatum plenissimi. Plurimi hoc tempore sibi laudi ducunt, quando in verè literatos invehuntur, eorum scripta convitiis

roſcindunt & petulanter carpunt, uamvis ea non perlegerint, nec ſen- um eorum probè perceperint. Mo- ni iſti, quia virtutis fama inclareſce- e non poſſunt, aliorum famam ſplendidam maledicendo infringe- e & obtundere frivolè attentant, dq; quod conſequi ipſi non audent, n aliis reprehendunt, ne nominis elebritate vinci videantur. Miſe- andum eſt, quod ſapientes haberi velint ex oris ſui malignitate, cùm in nalignam animã ſapientia nunquã ntret. Immodeſtia Sapientiæ viam occludit, quam modeſtia aperit.

CAP. IV.

Viam quæ ad ſolidum Sapientiæ Fundamentum ducat, eſſe triunam.

DEus triunus eſt: Eſt Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus Sanctus. Homo triunus eſt: Conſtat enim ex corpore, ſpiritu & anima. Magneſia ſapientũ triuna eſt; Ejus enim principales colores in operatione philoſophica apparẽtes ſunt tres

Nigredo

Nigredo, albedo & rubedo: Constat etiam ex tribus hypostaticis principiis, ex sale nimirum, sulphure & Mercurio. Omnia etiam cognoscuntur, quando DEUS, homo & Magnesia Philosophorum cognoscuntur. Præterea quicquid de veræ Sapientiæ ratione est, cum Sacris literis macrocosmo & microcosmo concordare debere manifestum est, & à Sapiente non negabitur. Id quod solidum demonstrat Sapientiæ fundamentum, est veluti mensura & Cynosura, ad quam alia scripta dictave sapientiam docentia mensurantur: Omnia autem hominum scripta & dicta censeri & judicari debent ex S. S. scriptura, Majori & minori mundo. Quare via, qua ad solidum Sapientiæ fundamentum homo pervenire potest, rectè trina appellatur. Una etiam est, quia quæ in triplici ista via proponuntur mirabili harmonia inter se consentiunt & ad sui correspondentem explicationem inter se magnū

habent

habent momentum. Ne dixeris; Macrocoſmum & microcoſmum, non eſſe viam ad Sapientiæ ſolidum fundamentum deducentem, quia illa ſunt, quæ cognoſci debent: Ipſa enim Sapientia ipſis divinitus inſpirata & adeò profundè infixa eſt, ut ſe lucem ad ſemetipſam univerſis hominibus offerat. Quomodo autem hoc fiat, ex ſequentibus pateſcet.

CAP. V.

S. S. ſcripturam eſſe viam, quæ ad ſolidum Sapientiæ fundamentum ſtudioſos veritatis perducat.

UT in natura, viva DEI imagine, Sapientia ita ſe conſpiciendam exhibet, ut de veritatis cognitione certum reddat hominem: Ita etiam eadem Sapientia in ſacra ſcriptura ſe oſtendit, ut inde ſimili ratione homo de veritate rerum certus reddatur, ac ſic ſolidum Sapientiæ fundamentum in ſacris literis ponat. A DEo quod provenit, certiſ-

ſimam viam ad Sapientiam aſſequẽdam demonſtrat: DEus enim Sapientia ipſa eſt & luce ſua viam illuminat, quæ ad veram deducit Sapientiam. Homo diligenter ſcripturam legens & conſiderans acquieſcit in ea, quando eam intelligit, nec dubitat de ejus veritate: Alia autem ſcripta legeus & intelligens non acquieſcit in iis, ſed eorum veritatem ad lumen gratiæ & lumen naturæ metitur: Unde Saniores rectè ſtatuunt ex unis S. literis de omnium Theologorum ſcriptis judicandum eſſe. Quis ergò negaverit S. S. ſcripturam eſſe viam ad ſolidum Sapientiæ fundamentum deducentem? Quando controverſia eſt de re aliqua, & ejus rei probatio ex S. S. ſcriptura liquidò haberi poteſt, homo credit illam rem eſſe veram, quia S. S. ſcriptura eam clarè docet: contrà ſi ex aliis ſcriptis aliquid probatur, illud homo non credit, quia in iis proponitur & exponitur; ſed quia cum lumine naturæ & gratiæ concor-

cordat. In S. ſcriptura quædam aperte, quædam tecte docentur: idq; eo fine, ut primùm nosmet ipſos exerceamus in apertis, quò per aperta in tectorum apprehenſionem provehamur. Lege, cognitis apertis, obſcurè dicta, meditare, relege, idque aliquoties; innata ſcripturæ lux intellectui tuo demet nebulas rerum profundarum cognitionem impedientes, ut ea, quæ aliis intellectu difficilia habetur facilè pervidere et cognoſcere poſſis. Nunquam tam è ad ſcripturæ lectionem & meditationem te accingito, niſi ad DEUM preces præmiſeris, atque ab eo ſpiritum intelligentiæ impetraveris: Quo facto, lege attentè: Si quid ſub initium difficile videtur, vel ſub notione falſi apparet, illud ne judica, ſed præteri, atque ad alia progredere; cogitans nondum adeſſe horam, qua illud intelligere debeas. Aliâ tamen horâ repete, idque cum attentione:

Si tum nondum intelligis, etiam acquiescito, & ne judicato. Perlege alia, & seriò statue, nondum venisso horam, qua DEus tibi animum aperire velit ad istud intelligendū. DEus vult omnia ut sunt certo constituta ordine, ita etiam certo cognosci ordine: Quando ergò adhuc nobis ignota sunt ea, quæ priùs cognosci debebant posteriora, etiamsi velimus, intelligere non possumus. Repete tamen nihilominus frequétissimè cum summa attentione in loco solitario id, quod tibi aliâs intellectu difficile fuit, tandem profundior ejus sensus & ratio tibi in mentem veniet. Cave etiam ne lucem ab hominibus mutueris & S. S. scripturæ inferas: Tu enim hac via tibi obstaculo eris, ne scripturæ lux insita in tuo intellectu operari & ad profundioris Sapientiæ cognitionem te evehere possit. Principiis hominum imbutus adeò inflatur scientia, ut etiam ad ea scripturam Sacram metiri ausit. Temerarius hic

Ambrosius. Diversa sunt Scripturarū fluenta. Habes quod primum bibas, habes quod secundum, habes quod postremum.

ausus

fusus est: Dei enim Sapientia se in e-
jus cor non deponit, qui humana sa-
pientia intumescit. Plenus non ad-
mittit aliquid aliud in se. Nos o-
portet fieri infantes, hoc est nihil
scire, si ex regno Dei & abysso mise-
ricordiæ Divinæ Thesauros Sapi-
entiæ hauriri volumus. Qui à S. S.
scriptura ad aliorum commentaria
abit, DEum sui libri interpretem
non exspectat, sed eum impotentiæ
arguit, quasi non posset sine homi-
num luce, lucem intellectui ingene-
rare. Commentaria ante S. S. scri-
pturam lecta animo sinistras opini-
ones frequentissimè suggerunt; Qui-
bus ubi homo diutius immoratur,
assentitur, atq; ad eas dicta scriptu-
ræ miserè contorquet. Depravatio
scripturæ hæc est. At ais, multa esse
obscura in S. literis, quæ intelligi de-
beant, &, cùm impossibile sit ut pro-
pria lectionis industria omnia ob-
scura dilucidè apprehendantur, ali-
orum commentariis opus esse. R.
An tu putas, te omnia obscura, quæ

in ſacris literis habentur, ſcire debere? An tuum eſt tibi ea præſcribere, quæ diſcere debeas? DEUS vult tibi multa manere incognita ut tuam ipſius agnoſcas imperfectionem. Quemadmodum homo omnia, quæ in natura & univerſo hoc mundo latent, inveſtigare non tenetur: ſufficit enim ut quædam expiſcetur, reliquaq; aliis indaganda relinquat. Ita quoq; nullus tenetur omnia, quæ in ſacris literis obſcura ſunt, intelligere: Quis enim profunditatem Sapientiæ Divinæ exhaurire poſſet? Præſtat DEUM exſpectare interpretantem, & ad tempus aliquid ignorare, quàm humanam Sapientiam pro divina reportare: Quod aliâs facilè fieri poſſet, ſi ex hominum Commentariis S. S. Scripturæ lux inferretur. Si DEus voluiſſet clariùs myſteria ſua per literam nobis patere, utiq; dilucidiùs viri DEi ea ſcripſiſſent. In ſudore vultus tui comedes panem; ait DEUS Adamo. Obſcurè ergò

myſte-

mysteria proponantur, ut *iis evol*-
vendis insudemus, & invigilemus.
Anne igitur commentaria sunt nul-
lius usus? Hoc nunquam dicere ve-
lim: sunt enim diligentis medita-
tionis & lectionis divinarum lite-
rarum (nisi ex aliorum hominum
interpretatione & immaturo judi-
cio profluxerint) signa, lectoris, qui
in S. literis fundamentum posuit,
animum Sapiētia adaugent, atq; ad
imitandum eam diligentiā nos sti-
mulant. Hodiè verò plurimi com-
mentaria scribunt ex commētariis,
alter alterum instar simiarum imi-
tatur; Nemo autem scribat libros,
qui ex aliorum libris ea, quæ scribit,
scribit, & viā sapiētiæ triunā nescit.
Furatur iste Sapientiam aliis, quam
ipse non habet. Aliorum Sapientiâ
qui tantùm sapit, desipit, & suā stul-
titiam alienis plumis contegit. Non
ex fonte puro, sed ex rivulis turbidis
bibit ille, & sic in erroribus suis tan-
dem moritur. Stultū est præferre a-
liena propriis, & aliorum sudorē sibi
tribuere. Tu verò qui ad solidam &

ſinceram adſpiras Sapientiam, de limpidiſſima fontis aqua bibe, & ſitim reſtingues lætabundus. Poteris tamen, poſtquam fundamentum ſapientiæ in S. S. ſcriptura absq; aliorum commentariis poſueris, commentaria aliorum legere, ut ſapientiæ conformitatem in diverſiſſimis videas, & magis magisq; in vera ſapientia inde confirmeris. Lege S. S. ſcripturam, & id præſta non incidenter, ut tibi eam familiarem reddas, priusquam ex ea judicium de aliis rebus formaveris: Ex ſcriptis enim, quæ incidenter leguntur, raró verum judicium de rebus fertur, cùm facilè poſſit fieri ut ea, dum incidenter leguntur, debitè non intelligantur. Scripta quæ bené intelligi debent, benè & diligentiſſimè legi debent, ut eorum ratio, intellectui evidenter ſe oſtendat. Bone DEUS quam immenſus eſt iſtorum numerus, qui ubi ex præceptorum ſuorum informatione & ſua catecheſi aliquid falſum eſſe didicerunt, coram

po-

populo prætendant, se ex Sacris literis scire, illud esse falsum; ubi tamen rarissimè S. Biblia in manus sumpserunt, atq; Dei sapiētiā in iis nobis manifestatam vix unquam cum attenta devotione seriò meditati fuerunt. Appello conscientiam eorum omnium, qui hodie ante trigesimū ætatis annum ad Ecclesiasticum ministerium promoventur. Hujus autem mali caussa rectè imputatur Theologis, qui candidatos ministerii potiùs ex Catechesibus & locis hominum communibus, quàm ex S. Scriptura examinare solent. Forsan & hoc nobis argumento esse potest, quod ipsi examinatores de vero S. S. scripturæ nucleo vix aliquid gustaverint: DEus, qui corda novit, tandem è somno evigilabit, atq; etiam illis, nisi maturè resipiscant, etiam illud bonū, quo jam fruuntur, subtrahet. Pænitentiam agite & diligentiùs versate Scripturam Sacrā, qui DEi ministri esse cupitis. Cæterùm lege S. scripturam, Theophile

ita ut Harmoniam rerum divinarũ & humanarum, cælestium & terrestrium, gratiæ & naturæ, exinde observes. Quam si agnoveris & videris, benè legisti. Omnia tandem in una convenient & persistent natura: ut & ex una essentia omnia sumpserunt originẽ. Quies nullibi nisi in unitate.

Cap. VI.

Macrocosmum esse etiam viam, quæ ad solidum sapientiæ fundamentũ veritatis studiosos perducat.

IN macrocosmo sunt lux & tenebræ. Quod tenebræ occultant, illud lux in apricum sistit & manifestat: idq; certo ordine, ut unum post aliud in sensus & rationem incurrat: etsi ergò res ipsæ macrocosmũ constituentes cognosci debent, tamen in se habent lucem, quæ viam ad sui cognitiouem illustrant & conspiciendam offerunt. In mundo Sol est, qui hæc inferiora suo lumine illustrat, ut à nobis videri possint. Quædam in natura manifesta sunt, quædam occulta. In apertorũ considera-

tione

one meditari diſce, & plurima ex
cceultoribus ad eundem modum ri-
naberis. Meditatio eſt veluti inſtru
nentū,quo tenebræ rerum ſpiritua-
iter diſcutiuntur, & lux earum ab-
bondita intellectui ſiſtitur. Quæ oc-
culta ſunt, corporeis vinculis vel di-
tantiâ longâ teguntur, ne in ſenſ⁹ &
rationem ſub primum intuitū & co-
natū incurrant. Si diligenter res me-
ditatus fueris, earū operationes ſtu-
dioſè obſervaveris, & operationum
mirabilem harmoniā notaveris, te
aliquid in vera ſapientia profeciſſe in
tuo ipſius animo revera perſentiſces.
Inprimis autē generationes, conſer-
vationes & deſtructiones rerū conſi-
derabis, idq; non ex librorū, vel Ma-
giſtrorum vivorum informatione,
ſed occaſionē nactus ex tuo ipſius in-
tuitu & ſēſuali obſervatione. Et quia
facilè animum confuſa multarū re-
rum cognitio ſub initium perturbat,
meditaberis pimùm rem unā intel-
lectu facilem, e.g. triticum, & in eo 1
ej⁹ originē ſeminalē, 2 ſeminis, è quo
aliud

aliud triticum nascitur, locum seu matricem convenientem 3. aquam, qua in sua matrice ad germinis productionem resolvitur 4. Caloris solaris vel alterius analogi interventu aquam matrici seu terræ inclusam subtiliari & in corpus seminis intromitti 5. Corpus seminale inde propter suam angustiam non esse capax tanti humoris, quantum Archæus corporis seminalis rationi inclusus in se trahere possit 6. ac proinde corpus seminale corrumpi, resolvi & ex eo protrudi germen. 7. Germen illud nutriri eadem aqua 8. Inde stipulam & in stipula nodos, & supra stipulam Aristas, è quibus flores, & post alius fructus triticeus prodeat, fieri 9. Nodos esse vasa, per quæ attractus humor magis magisq; sublimetur & purificetur, ut tandem ex purissimo liquore aliud triticum cũ fœnore enascatur. Quæ omnia si probè intellexeris, tecum ponderabis, etiamnum esse aliquid sublimius in corpore seminali, in germine,

in

floribus, & in fructu, illudq; du-
o procul admirandam conveni-
ntiam habere cum cœlo, quia cœli
alorem in ſe amplectitur, ei ſe unit,
n eo delicias & vitæ ſuæ vigorem
abet, atq; pro conſtitutione ſuperi-
rum ſuas virtutes mirabiliter di-
ponit. Hiſce ita probè apud te pon-
eratis & cognitis, alia ſemina in
onſiderationem trahes, & harmo-
niam convenientem notabis. Po-
ſteà quando conſervari & deſtrui res
vides, ſollicitè in cauſſas conſerva-
tionis & deſtructionis inquire. Non
omnia primo intuitu in mentem
venient, prout ſe intus & foris ha-
bent. Unum tamen poſt alterum
ita intellectui tuo ſe patefaciet, ut
brevi non exiguum progreſſum in
Sapientia ſis reipſa in te ipſo depre-
henſurus. Tandem ubi ita medita-
ri & tuo Marte, id eſt, abſq; aliorum
hominum inſtitutione naturam ri-
mari didiciſti, genius tuus, quem
tanquam Archæum animo tuo in-
ſitum habes, quieſcere non poteſt,
ſed

ſed te de die in diem ad occultio-
rum rerum, profundiorem & ex-
quiſitiorem apprehenſionem inſti-
gabit,&,quia in motu eſt, tibi quoti-
diè nova inventa ſuggeret, & tuũ in
Sapientia progreſſum adeò amplifi-
cabit,ut tandem indubitatò intelli-
gas,opinionum humanarum ſtudi-
oſos in errores & labyrinthum rue-
re, à veritatis via longè abeſſe, & vi-
am hanc, quam incedis, eſſe veriſſi-
mam,& ſolatii pleniſſimam. Dum
alium etiam vera dicentem audio,
primò in ipſius ſermonem intendo,
& deinceps in rem, quæ ſermone ex-
primitur. Jam verò qui macrocoſ-
mum ipſum ſine ſermonis implica-
tione intuetur, directè ad ſcopum
collineat & citiùs aſſequitur verita-
tem. Nudum faciliùs cognoſci-
tur, quàm aliquo modo tectum.
Certior ergò reddor in veritatis co-
gnitione, quando naturam absque
verborum annexione contemplor,
quàm ſi mihi ſermonis obſcuritate
detento,verba ipſa negocium faceſ-
ſerint,

ſerint, priusquam ipſam rem atti-gerim, quæ tamen intelligi nequeat in ſermone, niſi ad macroſmum redeam & ejus veritatem meditando deprehendam, Tu verò in hac meditatione pedem figere noli: Scis ignem eſſe omnium corporum probatorem, examinatorem & reſolutorem. Ad naturæ modum & curſum igne utere, ac convenientibus menſtruis reſolve, quicquid reſolvere cupis, tum miracula corporum tenebris involuta prodibunt, & tuus animo ſapientia ineffabili opplebitur. Ea menſtrua convenientia ſunt, quæ cuique rei in ſuo regno reſpondent, h. e. quæ ſub eodem regno, cui corpus reſolvendum ſubjacet, militant. Animalia animalibus, vegetabilia vegetabilibus, & mineralia mineralibus menſtruis præparanda & ſolvenda ſunt. Quod ſi proceſſus ab aliis ſcriptos abjeceris, & ad naturæ imitationem operatus fueris, vide-

Ex libris colligere, quæ prodiderint autores longè eſt periculoſiſſimum.

Rerum ipſarum cognitio vera è rebus ipſis eſt. Scal. exerc. 104.

videbis ea, quæ vulgaribus Philosophis, seu Atheniensibus Magistris & filiis mundi prorsus sunt ignota & gaudebis. Basilius Valentinus chymiæ subsidio 1. Vegetabilia & 2. Mineralia expiscatus est; vide præfationem ejus de magno antiquorum lapide. Eum ordinem & tu observabis. A facilioribus exordiendum. Priusquam autem meditaris & operaris ad ignem, DEum fatiga precibus, ut tuæ meditationis & operationis dux esse velit; sine DEo ex Macrocosmo nihil solidi cognosces: Tu enim & Macrocosmus in DEO estis & persistitis. Ardenter ita invocato DEo, nulla præteribit hora, in qua genius tibi divinitus insitus aliquid singulare non sit revelatutus. Vide tamen ne meditationem tuam nimis diu intendas; ut intellectui tuo inde vis inferatur. Sic enim in delirium facilè incideres. Quod caret alterna requie durabile non est. Hanc viam è macrocosmo petitam esse veram, certamq; atq; ad sapien-

tiæ

iæ ſolidum fundamentum perdu-
cere vel ex eo conſtat, quod omni-
um ſapientum ſcripta ad eam velu-
ti ad lydium lapidem revocentur &
examinentur. Si quid ab iis dictum
fuerit ab hac via avium, illud rejici-
tur: quod verò ei reſpondet, & in o-
mnibus convenit, approbatur & ve-
rum eſſe judicatur. Res ipſæ per ſuas
operationes ſe produnt. Si intelle-
ctum ocio torpeſcere permittes, ad
naturæ operationes non attendes,
nec id, quod notatu dignum erit, ob-
ſervabis. Diligentia meditationum,
operationum & inquiſitionum in
operationes, animum adeò vigilem
& alacrem conſervabit, ut etiam
profundiſſima facili labore perſcru-
tari inde queat. Quicquid in ma-
croſmo ſparſim diffuſum eſt, illud in
microcoſmo collectum eſt: confer
ergò macrocoſmum cum micro-
coſmo, & cognoſces inde tanquam
ex explicito hominem, tanquam a-
liquid implicitum. In minerali re-
gno quære ſalvatorem mineralium

& medicinam illam univerſalem. Cum ejus materia & operationibus confer ea, quæ in ſacris literis & in te ipſo tibi offeruntur; Ab hac in profundiſſimam terreſtrium, cœleſtium & ſupercœleſtium eſſentiarum cognitionem devenies & lætaberis: Nactus hanc perfectionem in rerum cognitione oculos apertos habebis, quibus, non tantùm Philoſophiæ vulgaris vanitatem, ſed etiam omnem hujus mundi miſeriã, reſtaurationem & renovationem absq; errore intuearis, ut ex hac vita emigrare deſideres, atq; ad perfectiorem vitam in uno ſolo Deo conſiſtentem immenſis ex ſinceri cordis abyſſo promanantibus ſuſpiriis adſpires. O Ieſu, qui mihi hanc viam ex ſingulari tua beneficentia monſtraſti, miſerere etiam mei, & animum meum magis magisq; illuſtra, ut tuum hoc beneficium, tum agnoſcam, tum pro eo tibi perpetuas gratias ex intimo mei cordis receſſu agam, & egentibus viciſſim benefaciam, tan-

dem-

déq; multitudinis ergastulo liberatus, tecũ apud Patrem tuũ in unitate habitē: Amen. Jesu Christe: Amen.

CAP. VII.

Microcosmum eße etiam viam, quæ ad solidum Sapientiæ fundamentum veritatis studiosos deducat.

IN microcosmo seu homine nobilissima substantia est, quæ anima dicitur, illaq; omnium rerũ, quæ ab universo hoc mundo continẽtur, vires & virtutes, eminẽter in se complectitur, ita ut etiam inde earũ species sibi ingenerare possit, nisi à corporis molestia & impuritate impediatur, ne istas species fingere & cõcipere valeat. Omnium ergò rerum cognitio ab anima est, seu potiùs ab ipsius genio, tanquam ab insita luce. Sed cùm tenebræ etiã admixtæ sint ex corporis unitione, lux insita non potest prodire, ac proinde certam viam ad sapientiæ fundamentum monstrare nequit, nisi tenebræ discutiantur, & tenebris pulsis, lux dominium habeat. Lux è tenebris

eluctata in homine conſcientiam, veritati è macrocoſmo & S.S. ſcriptura oblatæ aſſentientem & à falſitate forinſecus adducta diſſentientem parit. E tenebris verò lux animæ eluctatur pietate & introverſione; illâ, quia impia anima Sapientiæ rivulo non irrigatur: hac, quia radii animæ ubi à circumferentia in centrum revocantur, in ſe coëunt, lucem diſperſam in centro colligunt, & animam adeò illuſtrant, ut univerſi hujus imaginem in ſeipſa videat, contempletur, & in ea imagine omnia, quibus intenta eſt, facilè rimetur. Anima hominis eſt quinta hujus mundi eſſentia, omnium virtutum, quæ alicubi diſtinctè ſe exerunt, eſſentialia puncta & ſeminarias rationes admiranda unione in ſe habens; ut vel hinc veras ſpecies rerum verè exiſtentiû & ſe moventium, atq; motu ſuo ſpiritualiter ſe in anima hominis repræſentantium, quando ad eum motum attenta eſt, fingere apta ſit, & ea ratione eſſen-

En viam habes, qua Secretiores Philoſophi é ſeipſis rerũ externarum naturam explorant!

Moto liquore in vite ad producendos flores, moventur etiam & perturbantur vina antiquà doliis contẽta. Adeò à motu vitis viteu

essentias diversissimarum creaturarum absque sensuali cognitione exquisitè apprehendat. Hæc via est secretissima atque solis philosophis sincerioribus cognita, &, præmissis ardentibus ad DEum precibus, ab homine vitam suam ad legem Dei in sacris literis perscriptá componente initur, & observatur. Requiritur omnium sensationum exteriorum actualis sine somno oblivio & animi puritas. Ubi erant discipuli congregati propter metum judæorum, foribus clausis venit Jesus, & stans in medio dixit eis; Pax vobis: Joan. *20.v.19.* Sensuum clauduntor fores & in medio aderit Sapientia. Si quis hanc viam probè noverit, in se omnia, quæ sunt in universo, quoad virtutes essentiales, reverâ esse deprehendit, & harmoniam in creaturis admirandam agnoscit. Hoc ex abundanti addo. Quicunq; eò, mediantibus precibus, pervenerit, ut etiam sensationibus sine somno sepultis, species rerum

oso spiritualiter imaginatio vitiis percellitur.

En viam secretissimam habes, qua ile

luminatissimi Theosophi Deo imperscrutabiliter uniti in eo omnia cognoscunt: quia ipse est omnia in omnibus.

distinctas obliviscatur, & creaturarũ cognitionem omnem abjiciat, à multitudine in unitatem devolvitur & in uno DEo acquiescit, cujus dulcedine & imperscrutabili luce adeò reficitur, ut in unitatem DEI absorptus ad imperfectarum creaturarũ domicilia nunquam reverti cupiat. Sed credite, in hac vita hujusmodi raptus in Theosophis ut plurimùm esse momentaneos, nisi quis DEO se totum voverit, atque aliquoties magna cum mora tantæ oblivioni ξὺν Θεῷ indulserit: Tum enim ejus anima, imò & corpus exterius fulgore obducitur, ut, si DEUS permitteret hominem tanto fulgore circumfusum in conspectum hominum prodire, vulgus ejus intuitum ferre nequeat: Non aliter ac divino Mosi accidit, cujus aspectum, postquam in Divino colloquio & sacrosancto silentio ad quadraginta dies permanserat, Israëlitæ ferre non poterant. Amor meus, quo in vos feror, amicissimi disci-

discipuli, hæc ita ex mei cordis intimo meditullio extorsit. Si ea intelligere non potestis, tamen ne judicate, nec rejicite, sed acquiescite. DEUS, si sinceri estis, & eum ardenter absque intermissione in spiritu & veritate invocabitis, tandem vobis suam ostendet gratiam. Contemptori ad veram sapientiam nullus conceditur aditus.

CAP. VIII.

QUISNAM DIGNUS HAbeatur, qui viam Sapientiæ triunam jam à me candidè ostensam capessere debeat?

NOn sufficit scire viam ad solidum veræ Sapientiæ fundamentum deducentem, sed etiam decet cognoscere modum, quo alicui ea via ab ineunte ætate monstrari, amor in eam ingenerari, & tandem ille in Sanctuarium Sapientiæ intromitti debeat. Si illegitimo ordine imprudenter via nostra tri-

una in imitationem ab aliquo trahitur, ille vix aliquid addiscet. Quare attendite & audite, quisnam dignus habeatur, qui viam Sapientiæ triunam suprà à me explicatam debitè eat! Dignus ergò ille est, qui perfectos sensus in corpore gerit, [a] pietati à teneris assuescit, vitam sedatã & modestam ubiq; agit, est impiger, Ecclesi. Sal. 10. v. 10. in mathematicis diligenter se exercuit, in iisdem (non in frivolis & futilibus rebus, vanisque Philosophastrorum altercationibus) meditari didicit, linguarum Græcę, Hebraicę & latinæ cognitionem adeptus est, adolescentiæ annos unà cum præjudicio post se reliquit, atq; sic, si forsan aliquid de litigantium Philosophia didicit, illud reverâ dedidicit, ne ejus principiis imprægnatus secundum ea judicare incipiat, priusquam judicare aptus fuerit. Hic homo in via sapientiæ triuna absq; omnibus aliis libris plus una hora proficiet, quàm alius per totius vitæ cursum, & DEo,

[a] Eccles. Sal. c. 12 v. 1, 13. Prov. 3. 32

cui

qui magis confidit, quàm suis viribus, semper, quando per viam Sapientiæ triunam aliquid exploravit, in corde suo aget gratias.

Cap. IX.

QUO FINE SAPIENTUM *libri sint legendi, & quando?*

AUdivisti suprà ad fundamentum sapientiæ solidum deduci hominem per viam illam triunã expositam, & excludi etiam Sapientum libros: sed tamen velim ne inde tibi persuadeas, te in Sapientum monumentis evolvendis & perlegendis omninò versari non debere: Non enim hæc mea intentio est: quippe Sapientes, quæ de Sapientia in suis libris commentantur, non frustrà commentantur. Per scripta sua etiam prodesse volunt. Nolunt tamen ab aliis in Sapientum libris fundamentum Sapientiæ solidum poni & rivulos præferri fonti. Tu ergò, qui adspiras ad veram Sapien-

tiam, viam Sapientiæ triunam sequere, & in ea fundamentum Sapientiæ pone. Iacto fundamento, lege scripta Sapientum, ut ex iis colũnas Sapientiæ ad sapientis Amphitheatri extructionem necessarias tibi pares, in iis occasionem ad mysteriorum profundiorem considerationé nanciscaris, cõformitatem tuorum cogitatorũ cum illorũ scriptis intuearis, magis magisq; in conscientia tua de veritate confirmèris, & tandem te in verorum sapientum ordinem receptum esse in Sacrosancto silentio lætus agnoscendo experiaris.

CONCLUSIO.

Viam Sapientiæ triunam, Auditores, ita explicavi idq; pro ratione talenti divinitus mihi dati. Nullus dubito quin si eam viam observaveritis, Scholam Sapientiæ sitis ingressuri, ibi magnalia ejus contemplaturi, & bona infinita inde reportaturi. Hoc tamen pro clausula notate, quòd nondum in Scholam Sapientiæ in-

gressi sitis, si sine cruce vixistis & a-
ore magis in temporalia & caduca
na, quàm in æterna & incorrupti-
lia ferimini. Mundanæ deliciæ per
ucem vobis atterendæ sunt, si divi-
Sapientiæ nectare irrigari & refo-
llari cupitis. Mundanorum memor
ivina vix sapiet.

Dixi.

DEO Triuni laus & gloria in æternum, Amen.

onam itineris perplexi partem confecit, qui viam rectam probè didicit.

ADMONITIO AD LECTOREM.

QUAtuor forsan sunt, Benevole Lector, quæ tibi in hoc tractatu displicent 1. quod commendaverim Scripta Paracelsi & WVeigelii 2. Quod Sapientiæ studiosum ad legendos libros, hodiernorum Theologorum, controversias religionis tractantiú, nó adhorter. 3. quod

quòd scripta ethnicorum abjici-
enda & è Scholis exterminanda esse
velim. & 4. quòd in capite 7. En-
thusiasmnm in mundum reducere
videar. Ad primum quod attinet,
scias me nolle alicui omnia scripta
quæ hodie sub nomine Paracelsi &
Weigelii in lucem emittũtur, com-
mendare: Multi enim libri, qui di-
ctis viris tribuuntur, sunt supposititii
& non exiguos errores pro veritate
venditant, ita ut inde facilè aliquis,
qui eas ante in veris libris jactum
Sapientiæ fundamentũ leget, in va-
gas & instabiles opiniones abstraha-
tur & phantasticis figmentis Theo-
logiam quandam extra sacrarum li-
terarum profundam meditationem
in aliorum hominum perniciem
fingat. Do ergo tibi hoc sanum con-
silium, ut ne Paracelsum & Weige-
lium legere incipias, priusquam in
S. S. Scriptura, Macrocosmo & mi-
crocosmo solidum Sapientiæ fun-
damentum posueris. Hoc posito
dictorum virorum monumenta le-
ge

s, & initia tuæ Sapientiæ medita-
one scriptorum eorum longè am-
ificabis; nec tibi erit periculum ex
ppositiis libris: Non difficulter ho-
m enim errores ex veris libris di-
nosces & venerum à salubri, ma-
m à bono, falsum à vero separabis.
e secundo habeas, ex controver-
arum Theologicarum strenua tra-
ratione homines magis opinioni-
us & inani eruditionis persuasione,
uàm solido pietatis studio impleri,
t inde fieri ut controversiarum ea-
um discussiones & ventilationes
luris æstimemus, quam pietatem
psam, sine qua tamen nullus homo
erè Christianus est. Deducēdi sunt
homines primum ad caritatis exer-
citium, ut desinat mutuæ condem-
nationis, temerariiq; judicii ma-
leficiũ. Monstres mihi fidem tuam
per opera caritatis, & credam tibi
aliorum errores refutanti. Errores
refellendos esse novimus: sed cari-
ritas, (non contradicendi studium)
errantem facilè in veram abducit vi-
am.

am. Caritatis vinculo si quem con-
junxeris, ejus cor modestè à vanis o-
pinionibus liberabis. Hosti si bene
facere didicisti, Christi præceptum
observabis, & aberrantem facilè in
tuam sententiam permovebis. Ho-
diè magis requiritur vitæ, quam o-
pinionum emendatio, ex hac enim
quando sinè caritate est, dissidia, ex
illa pax & concordia liquidò scatu-
riunt. Ad tertium ut respondeam,
ethnicorum scripta ex Scholis non
exturbo, nisi quatenus in iis de fun-
damento sapientiæ studiosa juven-
tus informatur, & prius ex Gentiliũ
commentis, quam ex S.S. scriptura,
Macro & Microcosmo veræ Sapi-
entiæ seminaria haurit. Pri-
mum volue, revolue S. S. scriptu-
ram, Macro & Microcosmum,
& ex iis apprehende sapientiã. Qua
acquisita, in proclivi tibi postea erit,
proba ab improbis, in ethnicis Scri-
toribus discernere.

Ad postrenum aio, Enthusiasmi
vocem in magnum abusum esse ha-
ctenus

ctam; nã propriè significat divi-
um rerum in raptu inspirationem;
ã qui negat, verè Christianus non
t. Ipse D. Paulus in tertium cœlum
ptus legitur: & Prophetæ ea, quæ
populo annunciarunt & prædicave
int, per inspirationẽ divinam ha-
uerunt *Malim ego ad eandem faciẽ*
se Pius Enthusiasta, quam Matæolo-
us stolidus? impropriè autẽ Enthusi-
mus dicitur diabolica inspiratio
vinæ revelationis pallio decorata,
ua manifestum Dei verbum impii
nsus allatione impugnatur, noviq;
rticuli fidei contra caritatem prox-
mi ad seditiones in populo excitan-
as, excogitantur. Qui tales sunt En-
usiastæ, fanatici meritò habentur,
t dignissimi sunt, qui à Magistratu
aturè compescantur. Hæc sunt,
uæ sub finem adhuc scire debuisti,
ector benevole, ne præcipites judi-
ium, priusquam me rectè intellex-
ris. Tu vale benè, cum candidis cã-
idè age, & me tui studiosissimum
avore tuo prosequere.

P. B.

VEritate in ſcripturis ſa-
cris patefacta contentus,
fuge curioſas de rebus divinis di-
ſceptationes. Non diſputand
Deus colitur, ſed obſequio. Non
eſt ita curioſa religio. Quid deli-
beras? quid agendi tempora di-
ſceptando tranſmittis, evocan-
dus ex vitâ priuſquam ſtatueri
aliquid? Quid altercando cha-
ritatem excludis? Sciendi via
brevis eſt, agendi longa. Credis
age. Cogita non exacturum ab
te Deum quantum diſputaveris
ſed quantum vixeris; hoc eſt
quam piè, modeſtè, caſtè, leniter
patiẽter egeris. Si tã operosè cre
dendũ eſt, quis tandẽ ſalvabitur
Etcũ omnia ſcire volueris, quan
do illud facies, quod monet Do
minus, Quisquis vult diſcipulu
meus eſſe, abneget ſemetipſum
& tollat crucem ſuam? Cert
quum plurimùm ſciveris,
vinceris à Diabolo.

